



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 64. Scotiæ Ordinum responsio ad Franciæ Oratoris propositiones data.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI. ad certamen progredierentur, sumptis
A.C. 1561. armis, tympanisque pulsatis impetum
 faciebant: cum vero hæretici pariter
 armis essent instructi, Catholici retroce-
 dere coacti sunt, cumque Protestantes
 superando impares essent, verso in præ-
 dam furore quasdam domus diripue-
 runt. Acrius adhuc Calvinistæ tumul-
 tuabantur Apamiæ in Occidania, ubi
 non modo Jesuitas, qui Tolosam confu-
 gerant, sed & omnes quatuor Mendican-
 tium Ordinum Religiosos, necnon Ca-
 thedralium, & Collegiatarum Ecclesia-
 rum Canonicos urbe excedere compel-
 lebant, quibus crudeliter expulsis Cal-
 vinistæ civitatis dominium sibi usur-
 pantes non alia auctoritate, quam o-
 mnis generis impietatum licentia suf-
 fulti novam suam reformationem ibi-
 dem stabilierunt.

§. LXIV.

*Scotiæ Ordinum responsio ad Franciæ
 Oratoris propositiones data.*

Thu. 1. 29. Adhucdum in Scotia Procerum dura-
 bant comitia, dum Jacobus Noallius
 Burdegalensis Curia Senator a Carolo
 IX. Galliarum Rege Orator missus in hoc
 Regnum venerat. Hic idem inter pri-
 mas curas habebat, ut ad alloquium
 admittus Regni Ordines de Legationis
 suæ causa edocere posset: attamen
 proxi-

proximum præstolari jubebatur conven-
 tum die vigesima prima Maji celebra-
 dum, quippe Regina transmissis diplo-
 mate cunctis Proceribus ea, quæ e Re-
 publica essent, in quodam conventu sta-
 tuendi jus faciebat. Postea Orator ad
 hunc confessum admissus, atque auditus
 legationis suæ mandata explicabat,
 quorum præcipua hæc erant, I. Vetus
 cum Francia foedus innovetur, armorum
 vero societas cum Anglis nuper inita
 declaretur tanquam irrita. II. Clero
 bonorum, quæ ipsis ablata fuere, posses-
 sio restituatur. Verum Regni Ordines
 ad hæc respondebant: „nos quidem
 „Gallorum foedus, quod violasse haud
 „conscii sumus, continuare non recusa-
 „mus, de Anglicano tamen foedere re-
 „scindendo nulla vobis spes est, ad illud
 „enim servandum recenti beneficio ab
 „Anglis recepto obstricti sumus.„ Ad
 illum articulum, quo bonorum restitu-
 tio Sacerdotibus facienda petebatur,
 nimis acerbe respondebant, quod illo-
 rum, qui a Catholicis Sacerdotes appel-
 lantur, nec ullum munus, nec usum in
 Ecclesia agnoscerent: ne autem verba
 eorum effectum carere crederentur, sta-
 tim in eodem confesso, priusquam Re-
 gina adventaret, decretum condiderunt,
 ut ejus omnia passim cœnobia everti
 jusserunt.

Sæculi XVI.
 A.C. 1561.